

Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO HEXILOGICA
SPECIALIS
DE
**HABITIBUS INTELLE-
CTUALIBUS**

QUAM
JUVANTE OMNIUM BONORUM
HABITUUM LARGITORE

in ædibus

M. B A L T H: Stangen/
S. S. S. ConR.

Hospitis ac Præsidis
defendet

CHRISTIANUS GODOFREDUS HERMANNUS,
Servest: Anhalt:
ad d. XIII. Decembris

ANNI

Pro VrlbVs qVo DIspVtat
HabItVs aMans hos & CoLens.

SERVESTÆ,
Anno M DC LXXIX,

DIGESTIO HISTORICAE
SOCIETATIS

HISTORICAE
SOCIETATIS

JUVENTUTIS COMMUNIS SOCIALEM
HABITUM IN LIBERATIONE

M. DANTONIUS

et al. Comitum

Habitationis

governator

CITATIONEM COMMUNIS SOCIALEM LIBERATIONE

governator

et al. M. DANTONIUS



PROLOGUS.

Am authores in disciplinis tradendis servare
conserverunt methodum, quam dicunt compositionis, quæque ab universalioribus ad particularia seu minus universalia, & à simplicioribus, ad ea, quæ composita magis sunt progressus. Naturam ducem illi à facilitioribus ad difficiliora procedentem procul dubio sequuntur. Faciliora autem ea censemur, quæ quoad nos sunt notiora, & ea sunt notiora, quæ magis sunt confusa. Cognoscere enim aliquid confusè, medium est inter puram potentiam, quæ scilicet nondum cognoscere incipit, & inter actum perfectum, quando nimisimum exactè & distinctè rem percipit. Sed intellectus noster in suâ intellectione de purâ potentia ad actum procedit perfectum, adeoque prius pervenit ad cognitionem confusam, quam distinctam, ac proinde prius universalia quam particularia cognoscit. Atque hæc vera sunt, si respectu intelligentis intelligentur, secus verò si res intellectæ secundum se sumantur; quum particularia sic potius sint notiora & universalia minus nota. Ne ergo extrema conjungamus i.e. ne à pura potentia ad cognitionem habitus distinctam procedamus, sed per medium ab uno ad alterum extremum transeamus; ideo prius determinandum, quid sit habitus, & quid intellectus, quam quid sit habitus intellectus, ut quod per se ipsum innotescit.

THEOR. I.

Præcognitionem cognitionis & rei præcognitionis nominis præcognitionem supponit: Proinde antequam de habitu differimus,

A

mus', pauca quadam de ratione nominis sunt præmittenda; ignorato enim signo, ignoratur & res per id significata, licet aliundē innotescere possit; & (quæ contrariorum est sequela:) habita nominis notitia, melius clarius atque perfectius res ipsa cognoscitur. Et hæc quoque est ratio, ob quam nos etymologiam habitus tradamus, ipsius paronyma assignemus, synonymiam adferamus, & tandem ejusdem homonymiam tollamus ad illud πολυθεόν, respicientes, quod nimurum,

Erroris genitrix est æquivocatio semper. Si ergo nomen habitus ex origine suâ declarare & genuinam ipsius interpretationem dare velimus, dicemus, id esse verbale ab habeo deductum, quod vel lippis, ut ajunt, & tonsoribus notum est. Quæ de se format paronyma seu denominativa, sunt habitus adjectivæ habilis & habere, cuius postremi πολυσημία isto vulgari exprimitur disticho:

Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum:

Membrum contentum possessio vir mulierem.

Notitiam æquè facilem habet hujus vocis synonymia, dum pro nomine habitus vocē οὐσία apud Authores positam reperimus, pro quā tamen verbum οὐσία apud Philosophum Sapius legimus.

Difficiliorem verò intelligentiam ejusdem habet homonymia, ut quæ suo significationis ambitu plura complectitur, & modò adjectivè modo substantivè sumitur, & utrobique suam æquivocationem patitur. Quando nomen habitus est adiectivum, accipitur vel generatim, & idem significat, quod possessus, vel contentus; Sic numimus dicitur habitus, domus habita &c: Vel speciatim, & idem notat, quod pinguis & corpulentus, in quā significatione intelligatur Terentianum illud: Si qua est habitior paullò. Invenitur & superlativus Habitissimus, cui respondet substantivum Habitudo seu robur, undè dicitur habitudo athletica, quia athletæ & luctatores validis lacertis &

arma

Shma valetudine sine oportet, unde communis Magister: ηλιπη.

Quando nomen habitus est substantivum, sumitur latissime, ut opponitur privationi, & ut significat omne id, quod quocunque modō subjectum facit habile, seu quod subjecto intent, aut inesse potest, illique in significando respondet habilitas. Deinde sumitur late, pro omni illâ qualitate, qua quis habilis, aptus seu idoneus est ad tales operationes, quas personam naturaliter edere faciliter & constanter elicere nequit, & in hoc sensu sumitur, quando est species qualitatis & dividitur in habitum perfectum & imperfectum.

Tertio stricte pro vestitu, habitudine seu relatione corporis ambiente ipsum, & in hac significatione ultimum constitutum prædicamentum. Quarta denique & ultima acceptio nostræ est considerationis, qua qualitatem excellenter & perfectè in subjecto radicatam significat, adeoque dispositioni contradistinguitur, & in hac suppositione dehabitu deinceps verba faciemus,

THEOR. I^o

Energiam seu emphasin nominis excipit impressio rei, cuius initium est existentia, necessitas seu possibilitas, quicquid enim non est possibile, id nullam habet entitatem, quod vero nullam habet entitatem, nullam quoque veritatem obtinet; nam non Entis nulla sunt accidentia: Denique quod nullam habet veritatem, cognosci non potest, ac proinde à disciplinis merito jure excluditur. Verum in astruenda habitus existentia nos parum solliciti erimus; quia solem sacculis juvare videremus, si in re clarissimâ & omnibus manifesta tam anxiè laboraremus: Unicum hoc argumentum habitus existentiam astruat, & aliter sentientium errorem destruat:

Quicquid habet effecta realia, illud realiter existit; cum

A 3

non



non Enis non possit habere realia effecta, alias effectus in perfectione suam excederet causam;

Sed habitus habet effecta realia, instrue enim Petrum Physica, Metaphysica, Logica &c: profecto delectabiliter, facilius, promptius, meliusque Philosophabitur, quam sine illis: Ergo habitus realiter ac vere existit.

THEOR. III.

Esse existentia & esse essentia arctissimo inter se vinculo unitur, ut nullam fermè aliam ob causam Grammatici esse vocaverint substantivum, nisi quia esse essentia primum est, quod in unoquoq; ente reperitur, quodque reliquis omnibus substitutis, sublata enim rei essentia, tolluntur proprietates cum accidentibus, eà autem positâ, & hæc ponuntur: Convenienti ergo ordine ab existentiâ ad habitus progredimur conceptū quiditativum, qui licet diversis nominibus exprimatur à diversis, tamen in re parum inter se discordant. Si igitur vestigiis communis Magistri insistere velimus, ut pote cujus definitiones ac divisiones hucusque recepiimus, definiemus habitum, quod sit dispositio perfecti ad optimum, seu, ut aliis verbis idem dicamus, habens est qualitas subjecti integri & omnibus suis partibus ac facultatibus instructi ad optimum sui statum, qui in perfectissima ejus operatione consistit. Ratione generaliori habitus definitionem trademus quæ habitibus bonis & que ac malis poterit accommodari, si dixerimus, cum esse dispositionem subjecti, quæ quidem non dat ei primam facultatem operandi; Sed confert facultatem facilius ac magis determinatè operandi, quæ manet in subjecto, ipso etiam non operante. Mirum heic nemini videri debet, quod habitum definiamus per dispositionem, licet supra dictum sit, cum contradistingvi dispositioni; cum dispositionem hoc loco in significatione accipiamus la-

xiori.



xiori, quatenus synonymum est habitus. De habitu verò & dispositione strictè acceptis huic loco congruè quæri solet, utrum differant specie, an verò (ut perfectum & imperfectum intra eandem speciem) sicuti potentia & impotentia? Produbii hujus solutione Authores oppositas omnino sequuntur sententias; Potest tamen media teneri via, scilicet quod differant essentialiter & specificè, si difficile aut facile mobile conveniat illis ex natura suâ vel per se; Ut perfectum vero & imperfectum intra eandem speciem, si facile aut difficile mobile conveniat illis ex aliquo accidenti, & hæc responsio nititur à potissimum ratione, quod habitus per causam difficulter mobilem; dispositio verò per causam facile mobilem producatur, licet per accidens sœpè contrarium accidat, ut consideranti patet.

THEOR. IV.

Ut melius cognoscatur totum, cognoscendæ quoque sunt partes, ex quibus totum componitur. Licet verò habitus tanquam simplex quædam qualitas partes propriè dictas non habeat, tamen præter partes potentiales & integrantes impropriè sic dictas, etiam partes subjectivas habet, nomine quarum intelligimus species habitui subjectas: Ea enim est natura specierum, ut illis cognitis facilius natura generica percipiatur. Præprimis ergo habitus διχοτόμως dividitur in habitum corporis v.g. habitum dimicandi, spæhra ludendi &c: & habitum mentis, qui iterum in acquisitum & infusum subdividitur: Hunc Theologis considerandum relinquimus, illum in moralem & intellectualem dividimus. Aliis divisionibus in presentiarum omissis, eam duntaxat examinamus, qua habitus intellectualis in V. species distribuitur, præmissa ergò habitus intellectualis definitione, quæ ex jam dictis sua sponte fluit, restè eundem, cum Philosopho in quinque secamus partes, nimirum habitum

primorum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam
& artem, & hoc quoque reducuntur solertia fides & Opinio.

THEOR: V.

Supposito, assignitam habitus intellectualis divisionem
esse sufficientem & adequatam proposito nostro, conformiter
determinandum quoque est, quæ uniuscujusque speciei sit na-
tura, quæ causæ aut qui effectus. Dum autem essentiam ha-
bitus primorum principiorum investigamus, ignorare non o-
portet, quod modo, & modo intellectus nomine appellari con-
sueverit. De hoc dicimus, quod sit verus habitus potentia in-
tellectiva superadditus & ab illa distinctus, versans tamen circa
principia universalissima, quæ à Philosopho dignitates vocan-
tur, quam circa principia particularia scientiarum, quæ positio-
nes appellantur, & iste licet sit unicus specie insimia, sufficit
tamen pro omnibus principiis speculativis, sive universalibus
sive particularibus, nec sunt multiplicandi habitus principio-
rum juxta numerum scientiarum, quæ ex illis deducuntur.
Eum paucis sic rectè definiemus, quod sit habitus circa propo-
sitiones universales, necessarias, immediatas & speculativas.

THEOR: VI.

Circa causam seu modum, quo principiorum habitus in
nobis gignitur dissidere à Platonicis Peripateticos videmus: Il-
li arbitrabantur ab ipso ortu habitus nobis esse insitos, quibus
principia & conclusiones cognosceremus: Eos tamen nos late-
re, neque à nobis posse animadverti in esse, nisi studio adhibito.
Hinc affirmarunt omnem nostram scientiam esse meram re-
miniscientiam. Contra, Peripatetici existabant ab ortu seu
prima nativitate animam hominis nudum ab omni habitu, se
perinde habere atque tabulam rasam, in qua nihil est depictum,
ac in nobis jam adultis per inventionem aut doctrinam effici
habitus cognoscendi principia & conclusiones frequenti actu-

um

um iteratione, eo pacto, quo & virtutes comparantur. Ut, quid sentiamus, distinctè proponamus, astruimus, habitum hunc primorum principiorum speculabilium non esse omnino acquisitum; Si enim acquireretur, utique per assensus & judicia intellectus possibilis acquireretur, perque eorundem iterationem augeretur, adeoque cresceret facilitas in nobis assentiendi primis principiis, & econtrariò per cessationem & dissuetudinem horum actuum diminueretur hæc facilitas, tandemque corrumperetur, cum habitus ex eadem causa augeatur, ex qua generatur, & ex eadem diminuatur, ex qua corruptitur; Sed ex perimur habitum hunc neque augeri, nec ulla obliuione aut deceptione corrupti, quemadmodum in scientiis observare licet; Manet ergo quod non omnino comparetur.

THEOR. VII.

Verum ne in errorem Platonicorum incidamus, idèò nec asserere audemus illum omnino esse inditum à naturâ, quod enim in nobis sit seu generatur experimento, memoria & cognitione sensitiva, id non est omnino inditum à natura; Sed notitia primorum principiorum sit in nobis experimento, memoria & ipsa cognitione sensitiva; Ergo non est omnino à natura indita. Imo si talis habitus à natura intellectui esset inditus, in illo non esset pura potentialitas in ordine intelligibili, ut quam præviè per hunc habitum actuaretur & determinaretur, quod potentia intellectiva omnino repugnat.

THEOR. VIII.

Propius ad veritatem accidunt illi, nostro quidem iudicio, qui partim à naturâ, partim ab exteriori principio illum provenire sentiunt, ita ut sit naturalis inchoativè tantum, quatenus nimurum ex ipsa natura animæ intellectivæ convenit homini, ut explicatis terminis statim cognoscat prima principia; Comple-

tivè



Etivè verò dicatur acquisitus, quatenus non potest cognoscere
ista principia nisi per species acquisitas. Et ut aliis sed clario-
ribus verbis idem dicamus: Habitus iste vocatur partim natu-
ralis seu inditus à natura & partim acquisitus, non ita tamen,
ut una pars sit à natura, & alia ab exteriori principio; Sed,
quia posita terminorum notitia extrinsecus acquisita mediis
sensibus ad præsentiam specierum intelligibilium, virtute intel-
lectus agentis resultat in intellectu possibili talis habitus, qui
dicitur naturalis; Quia fluit per modum naturalis sequelæ po-
sita terminorum notitia. Dicitur acquisitus; quia supponit o-
perationes sensuum, per quas acquiruntur species intelligibiles:
Unde non producitur per judicia aut actus intellectus possibi-
lis; Sed immediatè per intellectum agentem in intellectu possi-
bili, statim ac per sensus acquituntur species intelligibiles, &
ponitur notitia terminorum. Est ergo intellectus agens imme-
diata & proxima habitus primorum principiorum causa.

THEOR. IX.

Atque cum hæc explicatione congruant omnia, quæ de
habitu primorum principiorum gravissimi docuere Philosophi.
Imprimis enim non tollitur in intellectu nostro pura potentia-
litas, ut qui ab intellectu agente actuatur. Deinde nec illud
naturæ trahitur, quod tantu[m] ad faciliter operandum est necessa-
rium, cum hæc facilitas ab externo proveniat principio. Hac
tandem ratione ponitur in intellectu per modum naturæ prin-
cipium sufficienter firmum & immobile, quod sit seminarium
totius cognitionis sequentis.

THEOR. X.

Cognitionem verò inde primariò sequentem judicamus
sapientiam & scientiam, quæ non differunt sicut duæ species
oppositæ, cum habeant eandem essentiam, eandemque defini-
tionem

tionem, utraq; enim definitur, quod sit habitus per demotionem
acquisitus. Differunt tamē ut perfectum ab imperfecto, ita ut sapi-
entia sit caput omnium scientiarum, regulans omnes alias, scientiæ
verò nomen aliis inferioribus relinquatur. Ideoque sapientia est
scientia procedens per causam akisitam, scientia verò ut con-
distincta à sapientiâ procedit per causas inferiores. Utique ma-
gna tribuitur laus, dignitas atque perfectio, palmam tamen præ-
ripit Habitus primorum principiorum, quod vel inde liquet,
quod habeat nobilissimum objectum, nobilioremque in id tendendi
modum; nobilissimum quidem objectum, quia principia, quæ con-
siderantur ab habitu primorum principiorum sunt nobiliora
conclusionibus, quæ à sapientia respiciuntur; Nobiliorem ve-
rò modum tendendi, cum habitus primorum principiorum in
suum tendat objectum per simplicem intuitum; Sapientia ve-
rò per discursum seu judicium mediatum, qui modus tendendi
longè imperfectior est. Idem quoque, ut jam dictum est, sen-
tiendum de scientia, cuius naturam, causas & effecta alibi exami-
nabimus.

THEOR. XI.

Inter habitus intellectuales quoque numerantur solertia,
fides & opinio. Solertia definivit Philosophus, quod sit con-
jectatio medii in tempore admodum brevi, vel ut Colonenses
transferunt, est perspicacitas quedam, per quam cujusque rei
medium & causa nobis statim occurrit, i. e. solertia est habitus
quidam medii syllogistici facile ac citè inveniendi dexterita-
tem afferens: Eos enim, qui longa temporis mora ad me-
dium inveniendum opus habent, solertes non appellamus. So-
lertia exemplum ponens Aristoteles veluti (inquit) si quispi-
am hoc viso Lunam eam partem, quæ est versus solem, lucidam
semper habere, propterea id ipsum effici, quod lumen ex sole,

B

fusce-



suscepit luna. Distincta est à solertia scientia; Hæc enim est cognitio certa & infallibilis, illa vero incerta & conjecturalis, est que pars Eustochiae, ob quam causam etiam diversis habitibus intellectualibus, tam speculativis, quam practicis describere potest, cum plurimi habitus indigeant mediis, quibus demonstrantur.

THEOR: XII.

Eidem definimus per habitum, quo assentimur determinatae alicui propositioni propter autoritatem sive testimonium dicentis, quod cum sit divinum & humanum, fides quoque una est supernaturalis, alia naturalis; Illius natura in scholis Theologis declaratur: Hujus vero consideratio huc spectat, ad hanc verò non requiritur discursus; Sed sicut una simplici visione videtur color ratione luminis & ipsum lumen: Sice eodem actu judicii assentitur intellectus alicui propositioni propter autoritatem dicentis, tanquam Propter rationem formalem; absque eo quod sit necessarium aliud præcedens judicium circa ipsam, ex quo moveatur ad talem assensum.

THEOR. XIII.

Ut propter evidentiam prædicti habitus cum fide; Sic propter certitudinem cum habitu Opinionis pugnant oppositionemque mutuam dicunt, Proinde cum oppositorum Eadem sit disciplina, necessariò ad meliorem jam dictorum habituum cognitionem de opinione quoque agendum erat, quam bene perspectam habebimus, si formidinem, quam annexam habet, ante consideremus. Formido ergo hæc opinionem consequens ex duplice potest provenire capite. Primo quidem quando pronunciata ex natura sua & ab intrinseco sunt contingentia, & in tali casu implicat, quod cognoscantur per habitum scientificum, licet de istorum veritate non dubitemus; Cujus causa est manifesta, cum formido ab intrinseco conveniens

ens



ens opinioni, & necessariò illam consequens (que propterè
vocatur radicalis:) non sumatur ex parte cognoscitatis, sed ex
parte objecti contingentis & fortuiti, quod potest aliter se habe-
re ac est, & per consequens aliter esse, ac cognoscitur: Necessa-
riò ergò cognoscitur cum formidine intrinseca & radicalia al-
terius partis. Deinde quoque eadem provenire inde potest,
quando propositiones, etiam necessaria, sumuntur ab opinante,
ac si essent contingentes; quia nimirum connexionem prædica-
ti cum subiecto non habet perspectam, quo posito, formido non
tenet se ex parte objecti secundum se, sed ex parte illius, qui tale
objectum cognoscit, & hæc frequentius vocatur formido, quam
illa alia, & consistit potissimum in metu quodam, si forte altera
pars sit vera, & ex hoc capite bene potest accidere, ut per idem
medium alter acquirat scientiam, alter verò opinionem; quia
videlicet hic propositionem ante positam cognoscit ut contin-
gentem, iste verò ut necessariam.

THEOR. XIV.

Quamvis ergò ex iis, quæ modò dicta sunt, opinionis exi-
stentia non obscure colligatur, ea tamen facile hæc ratione a-
strui poterit: Si enim præter propositiones necessarias den-
tur quoque propositiones contingentes, necessariò quoque da-
bitur habitus opinionis; cum propositionis necessaria & con-
tingentes per eundem habitum cognosci non possint; Sed præ-
ter propositiones necessarias dantur quoque probabiles & con-
tingentes, ex quibus quoque probabiles deducuntur conclusio-
nes, ut sensus & ratio in multis probant: Ergò dabitur habi-
tus opinionis.

THEOR. XV.

Hunc tamen habitum opinionis non unum dicimus, sed
alium constituimus, qui versatur circa propositiones con-
tingentes immediatas, quique correspondet habitui primorum.



principiorum, adeoque non multiplicatur, alium verò, qui pro subjecto habet propositiones contingentes mediatas seu conclusiones, & hic corespondet scientia, & multiplicatur, si multiplicentur objecta formalia: Quemadmodum idem contingere videmus in scientiis, quæ suam multiplicationem inde quoque desumunt. Quod verò alia sit opinio, quæ versatur circa propositiones mediatas, alia quæ attingit propositiones immediatas contingentes, id à pari concludimus; quia videmus idem in propositionibus necessariis immediatis & mediatis, quæ propter diversam formalitatem constituunt diversos habitus, nimirum habitum principiorum & habitum scientificum.

THEOR. XVI.

Quemadmodum verò habitum opinativum non confundimus cum scientiâ, multò minus cum habitu primorum principiorum; ita quoque illum distinguimus à dubio & suspicione: Dubium enim in neutram inclinat partem, sed manet anceps; suspicans verò licet magis inclinet in unam quam in aliam partem, non tamen illi parti assentitur determinatè, ut qui tantum levibus impellitur indicii: Opinans verò fortiora habet indicia, quæ efficiunt ut alteri parti determinatè adhæreat, quamvis non sine formidine alterius partis, consequenter propter hanc objectorum diversitatem isti quoque habitus diversificantur.

THEOR. XVII.

Quia scientia & Opinio magnam dicunt oppositionem, atque contrarietatem, videtur esse collectu facile, quod habitus scientia & opinionis circa idem objectum non possint esse in eodem subjecto, præsertim si alias oppositionis leges perpendamus. Nihilominus tamen ea controversia à multis hodiè agitatur & non desunt, qui id fieri posse dicant, neq; illi destituntur rationibus, quibus id probare nituntur, maximè quia tam actus, quam habitus scientia & opinionis variis modis inter se possunt

possunt comparari. **Quæ nostra ea de re sit opinio, dicemus**
in ipso disputationis actu. **EPILOGUS.**

Conclūdimus communi axiomate, quod nimirum contrariorum contraria sīt consequentia. Et, quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis & reliquum. Postquam ergo variis assignavimus habitus intellectus, qui ipsum in suâ operatione & contemplatione perficiunt; ideo quoque erit onus describere nunc possemus; constat enim quod alius sit error, qui habitui principiorum adversatur, aliis qui scientiæ, aliis error Physicus, aliis Grammaticus &c. Verum quia de contrariis contrarium est judicium, & insuper errorum infinitus ferme est numerus, ideo cum jam habitus bonos ex parte simus profecti, erroneos hosce dictis & factis vitamus.

COROLLARIA ANIMASTICA.

Definitio animæ, quâ definitur, quod sit actus primus, corporis Physici, organici potentia vitam habentis, bona est, si bene intelligatur, convenitq; omnibus animabus etiam rationali, qua tali.

Anima ut sic rectè dividitur in vegetativam, sensitivam & rationalem; vegetativa in sensitiva & utraque in rationali continetur. Quatuor assignantur modi vivendi, vegetatus, sensitivus, loco motivus & rationalis. Anima rationales & perfectorum animalium indivisibilis sunt, secus imperfectorum & plantarum.

Sangvis in animantibus duplex est, naturalis & nutrimentalis, quorum prior sicut & dentes, capilli, ungues anima' totius in-

A3



formantur; non vero nutrimentalis lac & semen. Non datur in vivente formæ partiales, undè in iis partium heterogeneitas accidentibus solum diversis adscribitur. Potentia virales animæ specificantur ab actibus & objectis formaliter sumptis: Unde benè colligimus quinque esse earum genera, vegetativum scilicet, sensitivum, locomotivum, intellectivum & appetitivum, quarum organicæ in toto composito, non organicæ in sola anima subjectantur.

4.
Generatio è tribus animæ vegetativæ operationibus eisdem connaturalior est, respondent singulis diversæ realiter potentiaz, licet una earum materia circa quam sit alimentum. Potentia nutritiva alia est à temperamento primarum qualitatù & calore naturali. Sensibile externū optimè dividitur in proprium, commune & per accidens, commune non imprimet speciem entitativè, sed modaliter solum distinctam specie sensibilis proprii.

5.
Sensibile supra sensum immediatè positum impedit sensationem, immò si vehementius sit, laedit sensum; qui non fallitur circa sensibile proprium, benè tamen circa commune & magis circa per accidens. Potentia sensitiva (si sanè intelligas) non mere passivæ sunt: Unde sensus agens frustra fingitur. Quinque sunt sensus externi, nullatenus supra sensations suas reflexivi:

6.
Lux est qualitas Physica distincta realiter à vero colore: Benè definitur, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato. Color optimè definitur esse motivus diaphani secundum actum. Sonus est qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonorum, & medii resiliencia. Odor est qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in quo siccum comprehendit humidum causata. Sapor est passio facta à sicco terrestri in humido, gustus alterativa secundum potentiam in actu.

PARADOXA PHILOSOPHICA.

Videtur quod in homine una tantum collocanda sit passio.

Videtur quoque quod idem equus non possit ingredi aquam
& iterum egredi.

Logicus una manu comprehendit omnia,

Philosophica cuiusdam sententia, que extat apud Epict:

cap. 69. paraphrasis poetica politiss. Dn. Auth. sedulò philosophanti accommodata.

A. P.

Tὰ μὲν ἀρέβαται καὶ χόρεται Φέροντα τοῖς ποιμέσταις πολεμίνεις πόσον ἐφα.
γεν. Αλλά τὴν νόμην ἔσω πεψαντα, ἔρων ἔξω Φέρει καὶ γάλα. Καὶ
σὺ τοινυ μὴ τὰ θεωρήματα τοῖς ιδιώταις ἐπιδεικνύεις, αλλ' αὐτὸν πάσῳ
Φθέντω, τὰ δέργα.

U T caper insignis non jactat gramina multa.

Ut nec Pastori pabula monstrat ovis;

Vérum quid valeant illi, quo munere certent;

Hoc tibi lac monstrat, lana, caroque satis:

Sic præcepta dedit non tantum suavia nobis

Sedulus Hermannus Vir gregis ipse caper;

Quærimus hic factum non dictum, facta probamus;

Dicta probent alii, Te tua facta canent.

Cujus enim lana, cujus sis ipse coloris?

Id monstrant habitus, vita modesta probat;

Transfigis hanc rectè tutans pro viribus illos;

Ergo doctrinam quis neget esse bonam;

Ipse feras multam lanam, mutesque ferendo;

In similes habitus, hujus & esto memor.

V Eille bien sur toy-mesme, & sur tes appetits,
Excite; et chauffe toy toy mesme, & t' avertis,

Quoy



Quoy qu'il en soit autrui, iamais ne te negliges
Gêne-toy, force-toy, change de mieux en mieux;
Plus se fait violence un cœur qui se corrige,
Plus ton progrès va haut dans la route des cieux.

Ignea mens, luteo quantumvis carcere septa.
Corporis humani triste sequatur onus;
Attamen immenso spatiatur pervagamundo,
Nec modus augustis nisibus esse potest.
Illa volat, propriisque fere jam libera vinclis
Magnanimo luteas pectorè spernit opes.
Nunc super astra suos transfert altissima cursus;
Et fastiditam penè relinquit humum:
Hic, quas mobilium variabilis ordo globorum,
Lunaquæ mutato pinxit in axè vias,
Perspicit, ac superös plantis audacibüs ignes
Calcat, & æternos jam prope tangit agros.
Nunc subit arcana Secreta recondita terre,
Et videt, occulso quæ tegat illa sinu.
Nunc nimbis suspensa cavis super æqua fertur,
Et tumidi fluctus despicit ipsa maris.
Hæc sacra libertas, ignis conaribus æqua,
Magnanimos dulci tangit amore viros;
Hæc, Hermanne, tui fecit præludia cursus,
Dum Sophia tumidas hæc penetravit aquas.
Sunt ea virtutis mandata, facessito liyor,
Quos amat, illa docet, quos docet, illa colit,
Te virtus, Hermanne colit, tibi ferta reponit
Laurea, vñtrices implicitura comas.

P.

FRIDERICUS NATO.


00 A 6706



Se

Retro V

VD 10



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

F. F. Q. S.

HEXILOGICA
CIALIS

DE

IS INTELLE-
ALIBUS

QUAM

INIUM BONORUM
UM LARGITORE

n ædibus

T H: Stangen/
S. S. ConR.

tis ac Præsidis
defendet

DOFREDUS HERMANNUS,
vest: Anhalt:

XIII. Decembris

ANNI

Vs qVo DiSpVtat
aMans hos & CoLens.

RVESTÆ,
M DC LXXIX,